DISSERTATIO DE HÆMORRHAGIIS A PRÆVALENTE SANGUINIS CHARACTERE...

Sebastianus Pircher



23

DISSERTATIO

DE

HAEMORRHAGIIS

A PRAEVALENTE SANGUINIS CHARACTERE VENOSO ORTIS

AD

DOCTORIS MEDICINAE LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

QUAM PUBLICE HABUIT

IN CELEBERRIMA AC PERVETUSTA

C. R. UNIVERSITATE PATAVINA

SEBASTIANUS PIRCHER

TYROLENSIS MATSCHENSIS

MENSE SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXXVI

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVI.

PROOEMIUM

Cum leges academicae medicum tyronem medicinae scholis et tentaminibus severis rite absolutis de objecto quodam ex universae medicinae ramo aliquo desumpto disserere jubeant, etiam ego mori antiquitus recepto obedientiam nequaquam denegare possum.

De themate in dissertatione pertractando valde dubius fui, cum virium mearum mediocritatem bene sentiens, tum nequaquam ignorans, illa medicinae argumenta, de quibus sermonem facere in mente habui, a celeberrimis Auctoribus jam perbene descripta fuisse. Nihilominus cum in celeberrima Clinica Medica Patavii, duce clarissimo Consiliario professore Brera, ac perillustri professore Federigo, Clinicae Medicae superioris Supplente, peculiarem observaverim morbi historiam, quae ad *Haemorrhagias a praevalente sanguinis charactere venoso ortas* pertinet; ita has pro dissertationis objecto seligendas esse existimavi. Et eo magis cum animadverterim medicos de earum origine adhuc valde discrepare, et in morbi historia a me observata occurrisse omnes

haemorrhagiae formas ab Auctoribus descriptas, easque perraras, videlicet sudorem sanguineum, profluvia cruenta ex oculis, auribus, mammarum papillis, et ceteras, quas in hoc opusculo proferam; non inutilem meum laborem qualemcumque fore confido.

Humanitas tamen vestra, ornatissimi Professores, Auditores, quotquot estis, titulo spectatissimi! meum erigat animum, ubi perdifficilo hoc argumentum pertractare aggredior.

Prinsquam autem hujus haemorrhagiarum speciei pertractationem exordiar, praevalentis *venositatis* definitionem, ejusdemque praecipuas causas atque effectus illi praemittam, ut hujusmodi profluviorum cruentorum theoria, aetiologia, symptomatologia, prognosis, therapia, et ipsa historia morbi observati melius explanentur.

Patavii die 15 Augusti 1826.

Praevalentis venositatis *definitio*.

Venositas praevalens a Germanis *vorherrschende venositaet* dicta, in eo consistit, quod sanguis venosus quantitate aut qualitate, aut circulatione tali pacto vitietur, ut constitutio venosa toto in organismo locum habeat.

Si tanta sanguinis venosi copia, aut sanguis carbonio et hydrogenio tam abundans ad pulmones feratur, aut ejusdem circulus tali modo peccet, ut ibi in sanguinem arteriosum absolutam metamorphosin subire non possit; quid mirum, si non solum nimia in venis colligatur sanguinis copia, qui colorem atro-purpureum, seri abundantiam, cruoris penuriam et minorem nisum in sejunctionem et coagulum firmum ostendit, sed et quod sanguis, qui in arterias transit, aequo minus oxydatus qualitates sanguinis venosi praeseferat, atque inde venositas in systemate arterioso emineat? Eodem modo venositas adaucta systema vasorum capillarium occupare videtur adeo, ut indolem venosam et venarum functionem actionemque acquirat.

Sic igitur praevalens venositas per totum organismum diffunditur, cujus status constitutio venosa, seu vita venosa exaltata dici potest.

Causae praecipuae praevalentis venositatis.

Si alimentorum opportuno usu digestio atque adsimilatio prima bene vigeat, sanguinis autem venosi in arteriosum perfecta metamorphosis cohibeatur ob vitae genus deses, ob aerem minus bene constitutum, praesertim oxygenii egenum, vel miasmate aut contagio refertum, ob nervorum in vasa sanguifera efficaciam impeditam aut perturbatam ex animi adfectionibus deprimentibus etc., aut ob catamenia deficientia, aut ob quodcumque organorum respirationis, secretionis, hepatis praeprimis, cordis vel arteriarum vitium etc., necessario morbus, de quo loquimur, insequitur.

Haec causarum momenta, si praedispositio, saepe haereditaria, ad praevalentem venositatem viget, occasionalium more agunt. Ceterum majori praedispositione ad praevalentem venositatem gaudent mulieres prae sexu virili, temperamentum melancholicum, phlegmaticum, habitus laxus, atque variae aetatis periodi, praeprimis aetas ad senectutem vergens etc.

Effectus praevalentis venositatis in oeconomia animali.

Cum sanguis in intimo nexu cum omnium organismi systematum organorumque actione et reactione existat, cum ipse materiae organicae et vi-

rium vitalium fons sit; hic status dictus sanguinis pathologicus non solum in systemate venoso, sed et in tota oeconomia organismi animalis humani morbose agere, atque varias et multiplices a statu normali aberrationes, morbique formas promovere debet. Sic praevalens venositas congestionibus, inflammationibus, stasibus, infarctibus, viscerum tumoribus, dilatationi universali et topicae venarum, varicibus, venarum lacerationibus ac ulceribus favet, atque sensorii communis, functionum cerebralium, sensuum internorum et externorum, ac actionis muscularis alienationi, fuctionisque cordis, respirationis, digestionis, secretionis, nutritionis, et actionis systematis vasorum lymphaticorum perturbationi occasionem largitur. Praeterea fertilem nervosarum adfectionum fontem, ut maniae, melancholiae, hypochondriasis, hysteriae etc., nec non genesin cachexiae variae, ex. gr., hydropis, scorbuti, et febris putridae, flavae, typhi, icteri, arthritidis etc amplectitur.

Praevalens venositas in systemate arterioso vel motus febriles excitare potest, qui cum consuetis febris phaenomenis ea etiam produnt, quae a nimia venositate oriri solent. In systemate autem venoso character sanguinis venosus praedominans aufert aequilibrium inter vim moventem et resistentem, id est, inter vasa et sanguinem; nam vis vasorum motrix vi resistenti sanguinis non amplius

respondet. Quare conamina morbosa vasorum certe timenda sunt, quae, uti quaelibet vis praeter modum incitata, in abnormem actionem transeunt; ex quo conditio pathologica oritur, quam congestionem dicunt, quae modo in peripheria, modo in ramis majoribus aut in centro ipso contingere potest.

Theoria haemorrhagiarum per secretionem a praevalente sanguinis charactere venoso provenientium.

Cum conditio pathologica a praevalente venositate orta in utroque systemate sanguifero ita se se habeat, sanguinis refluxus per systema venosum cohibitus motui systematis arteriosi incitato respondere minime potest. Hinc necessario contingit, ut sanguis in partibus congestioni ex natura sua magis faventibus, aut morbo quocumque infirmatis aut perturbatis, et inde ad congestionem magis dispositis, accumuletur, ideoque congestiones aut oriantur, aut quae adsunt, eo magis increscant. Cum vero secretio a sanguinis ad organum secernens affluentis quantitate ac qualitate, ejusque circulo dependeat, haec organismi insuper functio a norma aberrabit, sanguine quoad qualitatem aut copiam, aut circulationem peccante. Quamobrem humores conditioni normali respondentes in organis secretoriis secerni minime pos-

sunt, si antiharmonia a praevalente venositate nata inter systema venosum et arteriosum, nec non inter vasorum tunicas et sanguinem locum habeat, atque inde organa secernentia singulari statu abnormi laborent; imo si hic status pathologicus in gradu altiori vigeat, sanguis ipse loco humorum inquilinorum in organis secernentibus secerni potest, atque ita haemorrhagiae per secretionem a praevalente venositate facile nasci possunt.

Veteres in ea opinione fuerunt, haemorrhagias omnes nec a mechanicis, nec a chemicis laesionibus ortas (a recentioribus dynamicas dictas) ex anastomosi vel diapedesi proficisci. Sed nec una nec altera sententia nobis prorsus arridet. Existimamus potius opinionem recentiorum magis probabilem esse, quae hujusmodi haemorrhagiae originem actioni tribuit, quae secretioni similis est. Opinantur nempe haemorrhagias dynamicas in relatione cum secretione existere, quia easdem plerumque ex organis secretoriis oriri observarunt. Quamquam perspicue intelligi non possit, in quo organorum secernentium, et systematum sanguiferorum actio, et sanguinis ipsius conditio consistat, ut sanguis secernatur; certum tamen est, haemorrhagias dynamicas aut functione morbosa organi, ex quo sanguis fluit, aut systematum sanguiferorum actione perturbata vel in quadam parte juste magis exaltata vel depressa, aut sanguinis condi-

tione mutata, aut cunctis hisce vitiis simul produci.

Auctores multi hujus baemorrhagiarum speciei originem a sanguine nimis liquido, qui in scorbuto, morbo maculoso baemorrhagico Werlhofii, febri putrida etc. observatur, pendere arbitrati sunt, opinantes, ejusmodi sanguinem ostiolis aut parietibus vasorum facilius emanare, minime animadvertentes, vasa sanguinis copiae et qualitati cedere, dilatari multo sanguine circulante, contrahi, ubi minor sanguinis copia continetur. Tali pacto vas sanguini valde liquido quoque resistere potest, quod majori jure contendere possumus; quia non raro observatur, sanguinem valde liquidum aquosumque ex hirudinibus stillare, quin tamen spontaneae haemorrhagiae conspiciantur. Praeterea haec explicatio nimis mechanica nobis videtur. Cum autem hujusmodi haemorrhagiarum speciem plerumque in organismi partibus, in quibus sanguinis venositas praedominatur, et secretio eminet, ut in abdomine, et in morbis, ubi character sanguinis venosus viget, ex. gr., in scorbuto, morbo maculoso haemorrhagico Werlhofii etc., oriri videamus; et cum praeterea casus observentur, in quibus grassante vita venosa pronunciata, atque inde sanguinis circulo mutato, et secretione perturbata, etiam haemorrhagiae ex quocumque secretionis organo visae sunt: quis haemorrhagiarum, de quibus sermo est, originem ab egressu sanguinis nimis

fluidi mechanico per ostiola, parietesque vasorum potius, quam a praevalente sanguinis venositate, et sublato inter systemata sanguifera aequilibrio, et perturbata aut vitiata secretione, pendere malit?

Aetiologia.

Ut haec haemorrhagiarum species melius dignosci possit, ad causas praedisponentes atque occasionales confugiendum est. Ad illas pertinent aetas virilis, ad senectutem vergens, sexus sequior, temperamentum melancholicum aut phlegmaticum, vita iners, cibis sat bene nutrientibus sustentata, universalis solidarum partium laxitas, tristioribus animi adfectionibus vel aliis causis deprimentibus nata, habitus mollis, sensibilitas nimia, ad spasmos dispositio, morborum debilitantium, ut haemorrhagiarum etc., pericula superata, nimius Veneris abusus, abortus frequentiores aut partus difficiliores, quae momenta omnia organismum ad hujusmodi haemorrhagias disponunt, sat frequenter prorumpentes, si causae occasionales agant, ut aer nimis calidus frigidusque, nixus vehementior diutiusque continuatus, nimia ventriculi atque intestinorum repletio, evacuationum sanguinis consuetarum vel naturalium, ut menstruorum, suppressio, viscerum obstructio, violentior sanguinis agitatio per intensiores motus, cursum nimium, saltationem, equitationem, animi adfectus vehementiores,

magnum vocis dispendium, balnea justo calidiora, abusum calefacientium, aromaticorum, spirituosorum etc.

Symptomatologia.

Antequam sanguis ex quadam organismi parte erumpat, varia plethorae signa vel in universo corpore, vel in parte, cui morbus imminet, plerumque sese manifestant. Contingunt scilicet a sanguinis copia nervos cerebrumque premente, torpor quidam, motuum animalium inertia, totius corporis lassitudo, somnolentia; ab impetu sanguinis adaucto insoliti caloris sensus, titillatio ac dolor. Ceterum profluvium cruentum ex singulis partibus singulares etiam habet prodromos.

Narium haemorrhagiam praecedunt sensus in capite molestus, gravans, in regione frontali tensivus, siccitas narium, venarum temporum, oculorumque intumescentia cum aliqua lucis intolerantia conjuncta, nonnunquam faciei tumor et rubor, aurium tinnitus, vertigo, pulsus spasmodice contractus, horror, alvus adstricta, urina pauca, aquosa, artuum frigus. Haemoptoen vero praenunciant motus interdum febriles, genarum rubor, dyspnoea, thoracis constrictio, praecordiorum anxietas, cordis palpitatio, tussicula, dolor vel sub sterno, vel in pectore interiori ponderosus et punctorius, calor cum horrore alternans, sapor subdulcis, pul-

sus constrictus, durus, irritatus, frequens. Vomitum cruentum quoque futurum denotant praecordiorum anxietas, anorexia, ponderis in ventriculo sensus, cardialgia, alimentis adsumptis maxime adaucta, nausea, vomendi nisus, epigastrii et hypochondriorum dolor constringens et punctorius, saepe etiam eorumdem tumor, alvi perturbatio, horror cum calore alternans, inquietudo, sudores viscosi frigidique, pulsus exigui, contracti, crebri, nonnumquam intermittentes, cordis palpitatio, aurium susurrus, oculorum obnubilatio, vertigo, lipothymia. Profluvium sanguinis intestinale ex ano antecedunt dolor pungens in ossis sacri regione fixus, tensio intestini recti, tenesmus, dolores colici, sensus anxietatis, et pressionis ventriculi et hypochondriorum, capitis gravedo, anorexia, alvi constipatio, spasmi interdum et motus febriles. Haematuriam praesagiunt dolor in regione lumbari et hypogastrica ardens, anxietas, contractio spasmodica testium, abdomen tumidum, dolores colici, alvus constipata, calor et quandoque constrictio vesicae urinariae, atque urethrae, dolor perinaei, dysuria, stranguria etc. Metrorrhagiam extra graviditatem et partum indicant dolores in regione lumbari atque hypogastrica, sensus plenitudinis in imo ventre et versus genitalia, abdomen tumidum, tumor et dolor haemorrhoidum, horror cum calore alternans, sitis, dolor capitis gravis, vertigo,

aurium tinnitus, vomendi nisus, dolor spasmodicus in ventriculo, anxietas, respiratio impedita, cordis palpitatio, lassitudo ingens, pulsus frequens, irritatus, non raro intermittens, alvus adstricta. Sanguinis fluxum ex oculis atque mammarum papillis, dolor in iisdem partibus punctorius, ardens; otorrhoeam cruentam, aurium tinnitus; sudorem vero sanguineum, calor, ardor, pruritus et siccitas cutis, agitatio molesta, orgasmus, anxietas, debilitas ingens, lipothymia etc. praesagire solent.

Quamquam haec symptomata omnibus haemorrhagiis sive a praevalente venositate, sive ab exaltata sanguinis arteriositate ortis communia sint; quaedam tamen momenta diagnostica ad earum differentias statuendas nobis occurrunt. Sanguis nempe characteris arteriosi praepollentis e corpore ejectus floridior et magis coagulabilis est prae sanguine venoso. Contra sanguis venositate exaltata praeditus, atro-purpureus, minus coagulabilis, cruoris egenus et sero abundans est. Verumtamen haec signa sunt valde incerta, praecipue in internis haemorrhagiis. Quamquam enim sanguis characterem arteriosum praepollentem ab initio praeseferat, tamen extra vasa versatus coagulari, atque inde nigricans et cum aliis humoribus mixtus effundi potest. Praeterea haemorrhagiarum prodromi characteris arteriosi saepissime graviores iis, qui characterem venosum habent, esse solent. Deni-

que aegri constitutio venosa et causae venositati praevalenti faventes atque symptomatum defectus, arteriositatem exaltatam indicantium, et phaenomenorum praesentia, venositatem praevalentem comitantium, de haemorrhagiarum charactere nullum dubium reliquunt.

Haemorrhagiam praesentem externam ipse sanguinis effluxus aut loco, aut copia insolitus ostendit: internam phaenomena varia pro loci diversitate, in quo accidit, manifestant. Sic sanguinis secreti collectionem in cavo uteri et abdominis sensus tensionis et caloris atque dolor obtusus in his partibus, faciei pallor, extremitatum frigus, magna debilitas, anxietas, lipothymia, vertigo, oculorum obnubilatio, aurium susurrus, spasmi, convulsiones, pulsus parvi, debiles, intermittentes monstrant. Sanguinis vero ex vasis effusi accumulationem in thorace signa suffocationis, situs in latere perdifficilis, anxietas summa, nonnumquam tumor in regione lumbari, pulsus contracti, irritati, inaequales indicant. Ejus effusionem in ventriculis cerebri, aut ejusdem superficie symptomata apoplexiae propria testantur.

Prognosis.

In prognosi proferenda ad locum adfectum, ad causas, ad effectus, ad sanguinis effluentis copiam ac qualitatem, et symptomata, haemorrhagiam co-

mitantia respiciendum erit. Si effectus de charactere sanguinis venoso praedominante prolatos in mentem revocamus, a qualibet haemorrhagia, a praevalente venositate orta morbus hic venosus auferendus esse videtur. Nullum enim dari potest remedium, quod citius et tutius nimiae sanguinis venosi copiae medeatur, quam ipsum sanguinis profluvium, cujus efficaciam experientia confirmat; nam haemorrhoidum fluxus, vomitus cruentus, epistaxis, et catamenia imprimis, insignem virtutem in variis adfectionibus, iisque praecipue, quae sedem in venositate exaltata habent, exercere solent. Ideo *criticae haemorrhagiae* appellantur, ex quarum suppressione nec pauca, nec levia saepe in hominibus, iisdem laborantibus oriuntur mala, uti cephalalgia, hemicrania, otalgia, odontalgia, ophthalmia, erysipelas, vertigo, sopor, apoplexia, angina, dirae inflammationes, phreniis, asthma, tabes, abdominis tormina, artuum dolor et rigor, convulsiones et epilepsia, febres gravissimae etc.

Attamen haemorrhagiae in aliis morbis, quamvis venositatem exaltatam agnoscant, noxiae et perniciosae evadunt; et hae *symptomaticae* dicuntur, ut in febri putrida, peticulis, scorbuto, morbo maculoso haemorrhagico Werlhofii etc. Verum in hujusmodi adfectionibus venositas quoad copiam sanguinis venosi non praevalere videtur, sed potius qualitate vitiatur.

Praeterea si sanguis nimia venositate gaudeat, si per haematosin continuo sanguis indolis justo magis venosae reproducatur, tantum abest, ut sanguinis effusio sive naturalis, sive artificialis saluti prospiciat, ut potius aegro damnum adferat; nam hae haemorrhagiae, quamvis saepe ab initio levissimae, imo salutares videantur, sensim tamen si diutius perduraverint, nimiam sanguinis copiam e corpore expellunt, et inde facile ambiguae fiunt atque irreparabiles, quia immodica sanguinis profusio, ut plurimum gravissima parit mala. Magna quidem in eo cernitur differentia, quod sanguis subito nec interrupta serie magnaque copia prorumpat, aut sensim atque interjectis temporum intervallis profluat. Nihilominus notum est, tristes semper ac timendos effectus ex humoris hujus nobilissimi, vitalis summo jure dicti, jactura nimia oriri, qui imprimis in systematis nervosi functionum alienatione observantur. Sic debilitatem, diu saepe post morbum superatum superstitem, sensuum obnubilationem aut omnimodam privationem, syncopen, asphyxiam, aurium tinnitum, cophosin, amaurosin, vertiginem, capitis gravedinem et dolorem, somnolentiam, delirium, spasmos, convulsiones, turgorem vitalem imminutum, colorem cutis valde pallidum, faciem collapsam, pulsus exiguos, debiles et vacuos, artuum frigus, sudores frigidos, nec non mortem ipsam insequi conspicimus.

Omnia tamen haec phaenomena in haemorrhagiis, a praevalente arteriositate ortis valde graviora et celeriora, et post minorem sanguinis perditi copiam, quam in illis a venositate praedominante natis apparent. E contra profluvia cruenta characteris venosi praevalentis saepius pariunt morbos, qui reproductionem perturbatam veluti causam agnoscunt; huc spectant cachexiae variae, ut tabes, febris hectica, hydrops, chlorosis etc.

Minus periculosae haemorrhagiae in locis consuetis ortae esse solent iis, quae ex locis insolitis et prorsus alienis prorumpunt, licet ne hae quidem maximo semper periculo stipentur, dummodo leviores sint, ut sanguinis fluxus, quem menstruia suppressis interdum ex digitorum apicibus, mammarum papillis, oculorum angulis, aurium meatu et in tota cutis superficie prodiissa narrant. Sic legimus a doctore Aloysio Valentin in suo opusculo, cui titulus est: *Voyage médical en Italie, fait en l'année* 1820, descriptam historiam foeminae 31 annorum, trium filiorum matris, quam in nosocomio vicetino ob menstrua terrore repentino suppressa, haemophthysi et haemorrhagiis ex quocumque meatu naturali, papillisque mammarum prorumpentibus laborantem invenit. Quamquam varia remedia derivantia, emmenagoga, evacuantia in auxilium vocata fuerint, sanguis tamen e naribus, auribus, mammis, ven-

triculo, bronchiis, intestino recto, et urethra pertinaciter fluit. Derelictis postea remediis quibuslibet emmenagogis, atque interius adhibitis refrigerantibus, exterius autem irritantibus in regione uteri et vaginae, huic foeminae sanitas, menstruis iterum supervenientibus, restituta est.

Haemorrhagiae adhuc magis noxiae fiunt, si sanguis e vasis, sed minime ex organismo eliminatur. Effectus qui inde oriuntur, discrepant pro partium discrimine, in quibus sanguis secretus accumulatur. Si effusio sanguinis fiat in ventriculis cerebri, apoplexia oasci solet, quae ceteroquin in hominibus constitutione venosa praeditis frequenter occurrit. A sanguine effuso in superficie encephali oriuntur symptomata, quae hujus organi pressio parere solet. Sanguinis collectio in cavo thoracis, pericardii, aut abdominis, pelvis et uteri phaenomena producit, quorum mentionem prius fecimus. Si sanguis secretus colligitur in textu celluloso aut in organismi parte, in qua organa nobiliora minime laeduntur, aut in suis functionibus cohibentur, dolores, pressionis sensus, majores vel minores maculae caeruleae, lividae gignuntur. Sed pedetentim hic sanguis iterum absorbetur, aut abscessus formantur, cum quorum pure deinde eliminatur. In cavitatibus vero sanguinis effusi absorptio tantummodo locum habet, si ejus copia exigua sit, nec a vasorum lacera-

tione, sed a secretione originem habet. Haemorrhagiae tandem mala pariunt in organis ipsis, in quibus contingunt. Secretiones scilicet statim post fluxum sanguinis dynamicum augentur; id quod iterum comprobat, hujusmodi haemorrhagias per secretionem reapse fieri.

Cum autem haec profluvia cruenta frequenter ex organis membrana mucosa vestitis oriantur, atque sanguis in membranis muciparis plerumque secernatur; haemorrhagias insequuntur blennorrhoeae plus minus diuturnae, medorrhoea, blennorrhoea intestinalis, bronchialis, nasalis, urethrae etc., quae diversas organorum laesiones, ut inflammationes, concretiones, indurationes, ulcera, polypus, scirrhos, cancros efficere possunt, aliaque pro loci discrimine phaenomena morbosa varia, et eo graviora, quo nobilius, magis gracile atque irritabile viscus est, in quo sanguis secretus fuit. Si phaenomena ostenderint, vires in haemorrhagiis valde prosterni, salus plane anceps est. Ceterum quamquam mors aliquo tempore post superatas vehementiores sanguinis profusiones congruis remediis arceri possit, varia tamen in oeconomia animali symptomata morbosa insurgunt, ut ad spasmos dispositio, fere numquam removenda, ad novas haemorrhagias nisus, et alia mala plus minus fatalia, de quibus sermonem fecimus.

Therapia.

Cura omnis radicalis tribus nititur indicationibus praecipuis, quarum prima est causas morbi remotas tollere; secunda causam, uti dicunt, morbi proximam, seu morbum ipsum exstinguere; tertia tandem vitae et organizationi integritatem restituere.

Quare juxta primam indicationem causae hujusmodi haemorrhagiae cum praedisponentes, tum occasionales in aetiologia enumeretae, quantum fieri potest, removendae sunt. Quibus amotis causa hujus haemorrhagiae speciei proxima, seu haemorrhagia ipsa deleatur oportet.

Cum autem in hac haemorrhagiarum specie aequilibrium inter systemata sanguifera a venositate praevalente sublatum, atque inde perturbata secretio causam proximam sistant, ut sanguis humorum inquilinorum loco in organis variis, praesertim secretoriis, secernatur; indicatio secunda in eo consistit, ut praevalens venositas quoad copiam sanguinis aut qualitatem peccans, atque inde sublatum inter systemata sanguifera aequilibrium, et perturbata secretio, videlicet secretio sanguinea, ad normalem conditionem redigantur.. Quapropter semper medendi methodi, quae hisce indicationibus satisfaciunt, seligi debent. Hinc si aequilibrium perturbatum systematum sanguiferorum, atque secretiones cruentae a nimia sanguinis venosi copia

oriantur; methodus evacuans, sive sanguinem subtrahens, sive purgans etc. juxta casus peculiares administratur. Si dictus status pathologicus non copiae nimiae sanguinis, venositate praevalente praediti, sed ejus qualitati mutatae, ideoque in parte organismi quadam ortae aequo majori irritationi originem suam debeat; methodus sedativa sive sopiens, sive leniens adhibetur. Si vero sublatum systematum sanguiferorum aequilibrium, et eo effecta secretio cruenta, nec a quantitate sanguinis venosi nimia, nec ab ejusdem qualitate alienata, sed a vasorum sanguiferorum in parte quadam praedominante laxitate atque ab organi alicujus secernentis justo majori debilitate, per venositatem exaltatam praecedentem, haemorrhagias praegressas etc. inducta oriantur; methodus roborans, stimulans locum habet.

Denique tertia indicatio hujusmodi haemorrhagiarum reliquias, in prognosi jam recensitas, partim nominatis medendi methodis, partim quoque aliis remediis sive chirurgicis, sive diaeteticis juxta rem auferri, et ita organismo animali humano pristinam sanitatem, quoad fieri potest, restitui jubet.

Morbi historia, adlata confirmans.

Beatrix Bavarotta, patavina, 35 annorum, famula, viro nupta, septem filiorum mater, temperamenti phlegmatico-cholerici, habitus scrophulo-

si, vigintiquatuor annos nata typho, et anno vicesimo septimo aetatis haematemesi atque sanguinis fluxu ex oculis, auribus, mammarum papillis, imo e tota corporis superficie ob catamenia terrore repentino suppressa laboravit, a quibus morbi formis, menstruis rite redeuntibus, iterum liberabatur. Ante duos menses haec mulier, cum sex post partum diebus nutricis officio incumberet, atque aeris vicissitudinibus exponeretur, et spirituoso potui nimis indulgeret, repente lactis secretionem amisit. Quo factum est, ut crura valde tumuerint, atque dolores, tam per eadem, quam per reliquam corporis superficiem vagantes, febrisque in conspectum sese dederint. Cum autem tantum abesset ut hic status pathologicus vi sola naturae medicatrice tolleretur, ut potius phaenomena morbosa, videlicet phlegmatia alba dolens extremitatum inferiorum, dolores vagi, praesertim in artubus superioribus, febris, anorexia, sapor amarus, dysuria augerentur, die 14 Martii anno 1826 ad celeberrimam Medicam Clinicam Patavii se se contulit.

1 die curationis decoctio gram. cum nitr. pro usu interno, et venae sectio in brachio ad unc. X. praescribitur; sed aegra tamen sanguinem copiosum coloris atro-purpurei cum tussi et dolore punctorio, et tensionis sensu in epigastrio et hypochondrio sinistro rejecit. Quare altera curae die interne mixtura ex emulsione gum. arab., conserv.

rosar., syrup. sulphatis morphinae unc I., cujus quaelibet uncia granum I. sulphatis aut acetatis morphinae continet; venae sectio ad unc. X.: 3 die epistaxis copiosa; remedium idem internum: 4 die haemoptoe; emulsio gum. arab. cum nitr. et venae sectio ad unc. X.: 5 die haemoptysis rediit; nitro suspenso, emulsum cum aq. coobat. lauro-ceras. gutt. XXX.: 6 die epistaxi, et 7 die haemoptoe corripitur. Febris perseverat; quare medicamen idem interne repetebatur, atque externe hirudines n.° VII. ad epigastrium valde dolens: 11 die dolores ad renum et hypogastrii regionem vehementes aegrotantem aggrediuntur, quos haematuria copiosa insequitur; remedium idem: 13 die haemoptoe; hinc cum dolores in regione lumbari et hypogastrica adhuc magis augerentur, interius emulsio gum. arab., aq. coobat. lauro-ceras., nitr. et syrup. sulphat. morphin., atque applicatio hirudinum VII., et postea fomenta emollientia loco dolenti: 14 die quia dolores in epigastrio fortiores redierunt, et haematuria febrisque vehementior perseverarunt; venae sectio ad unc. IX. cum iisdem remediis internis: 16 die vomitus sanguinis atropurpurei cum dolore vehemente in epigastrio; quare interius idem remedium, atque exterius hirudines VII. in regione epigastrii dolente: 17 die ad hujusmodi dolores auferendos boli sex e morphinae puriss. gr. I. cum medulla panis et mel. despumat.

praescribuntur: 19 die haematuria, et 20 haemoptoe redeunt; hinc iterum emulsio gum. arab., aq. coobat. lauro-ceras. et syrup. sulphat. morphin. pro usu interno; sed cum 21 die mictus cruentus et febris perseverassent, celeberrimus Consiliarius et Professor Brera ad sequens remedium confugit: Rp. Pulv. cort. peruv. eleet. unc. semis, ebull. in aq. font. unc. XVIII., et sub actu ebullit. add. elixir. acid. Hall. dr. I., coq. denuo ad resid. unc. XII.; colat. fortiter expressae add. mucilag. gum. arab. dr. II. d. v. e. s., ut sumatur paulatim de die: 25 die idem remedium et exterius unguent. ex tart. emet. dr. semis et axung. suill. dr. I. paratum duabus vicibus in epigastrio atque hypogastrio dolente applicand., et postea fotus emollientes, qui cum eodem remedio interno usque ad 28 diem locum habuerunt. Nunc praetermittendo fomenta emollientia interius offerebatur succus aurant. cum sacch., cujus usus usque ad 44 diem protrahitur: 34 die praeter haematuriam, sanguinis fluxus ex ano cum dolore in regione umbilici et lateris thoracis sinistri, et lipothymia. Hinc cum succo aurant. dulc., hirudines n.° XII. mammae sinistrae applicantur, fomento emolliente nequaquam praetermisso. 39 die sanguis ex oculis et ventriculo prorumpit; quapropter hirudines XII. epigastrio dolenti admoventur, atque 41 die ex utraque mamma et oculis cum dolore vehemen-

te, renes et hypogastrium occupante ac pulsibus exiguis, irritatis. Hinc ad hunc dolorem compescendum liniment. ex morphin. puriss. gr. III. et ol. amygdal. dulc. unc. I. et semis paratum pro frictione ad regiones dolentes praescriptum fuit. Cum a 44 die fluxus sanguinis copiosus modo ex omnibus his partibus, modo ex alia, modo ex altera cum dolore vehementi, anxietate, dyspnoea, pulsibus parvis, irritatis, frequentibus usque ad 53 diem pertinaciter persisteret, quatuor dies interius decoctum ex rad. rathaniae cum succo aurant., externe idem liniment. ex morphin. et ol. amygd. dulc.; deinde duobus diebus pro usu interno infusum fol. salviae cum spirit. nitr. dulc., exterius una die applicatio hirudinum XVI. vasis haemorrhoidalibus, et altera venae sectio ad unc. X. in brachio. Postea tribus diebus principii amari chinae bicoloris in aq. font. lib. II. solut. scr. I., interne de die sumend.; exterius consuetum liniment. deprimens: 53 die aegra summa virium infirmitate, lipothymia, anxietate, dyspnoea, orgasmo, calore intenso, ardore, pruritu et siccitate cutis correpta fuit, quibus phaenomenis sudor sanguinis universalis supervenit, qui quotidie apparuit usque ad 58 diem, haematuria et alvi fluxu sanguineo perdurantibus. Nunc catamenia copiosa, aut potius metrorrhagia, una die tantummodo perdurans cum magna doloris in locis affectis remissione, alia-

rumque haemorrhagiarum cessatione observabantur: 60 die amenorrhoea redeunte sudor sanguinis profusus, iisdem phaenomenis recensitis stipatus iterum ingruit, qui modo solus, modo cum aliis haemorrhagiis, praesertim fluxu sanguinis ex ano, haematuria et haematemesi, reliquis continuo magis constantibus conjunctus persistebat adeo, ut intra 16 dierum spatium sudor cruentus universalis decies, et ter partialis cum aegrotantis magna virium dejectione in conspectum venerit: a 53 die interne modo decoctio ex chinae bicoloris dr. II. aut simplex, aut cum liq. anodyn. mineral. Hoffmann., modo chinae bicoloris principium amarum cum aq. totius citri et aq. menth. piperit., modo liq. anodyn. mineral., aq. menth. piperit. et syrup. simpl., aut boli XII. ex principii amari chinae bicoloris dr. semis, extract. myrrh. aquos. scr. II., et pulv. aethiopis martialis scr. I. parati, adsumendo bolus II. om. bih., aut limonea tenuis cum sacch. administrantur usque ad 74 diem, ubi ceteris remediis derelictis, aqua hepatica cum lacte vaccino offerebatur, atque exterius ob dyspnoeam emittuntur unc. XI. et dimidia sanguinis, qui post 12 horas analysi chemicae subjectus inveniebatur immediate compositus ex cruoris unc. II., dr. VI.; seri albi unc. VIII., dr. VI. Serum continuit approximative solitam albuminae copiam. Cruor praebuit decompositionis ope: fibrinae hy-

dratae unc. o., dr. o., gr. XLIV.; materiae colorantis et seri sanguinis unc. II., dr. V., gr. XVI. summatim unc. II., dr. VI.: 76 die sudor sanguinis universalis iterum copiosus. Hinc venae sectio ad unc. IX. repetita; interius idem remedium: 78 die bujusmodi boli administrantur: Rp. Pulv. hydrocianat. potassae ferruginosae gr. XII., pulv. acid. tartar. gr. XXIV. misc. exactiss., et c. s. q. roob samb. f. boli IV. om. bih. I. adsumend.: 81 die ad sudorem sanguinis semper redeuntem atque dolores, inferiorem thoracis regionem occupantes, compescendos, venae sectio ad unc. VII. instituitur; interius idem remedium: 84 die phaenomenis morbosis, de quibus sermo fuit, supervenit binarum ascaridum excretio per alvum. Adsumit aq. communis dest. unc. VIII., aq. coobat. lauro-ceras. gutt. XX.: 86 die catamenia observantur, quibus supervenientibus haemorrhagiae omnes siluerunt. Interius eadem remedia, externe fotus emollientes ad abdomen. Dolores in hypogastrio et lumbis fixi persistunt, atque ischuria renalis, 13 dierum spatio perdurans: 91 die sudor naturalis aquosus, haematuria cum dolore vehementi, renum regionem vexante, fluxus sanguinis ex ano. Hinc interius aquae mephiticae alcalinae Falconeri libr. I. de die sumend., quae, cadem phaenomenorum forma persistente, repetitur usque ad 99 diem, ubi hoc remedio relicto, emulsio gum. arab.

et ol. amygd. dulc., et applicatio hirudinum XII., septem dierum curriculo repetita ad renum regionem dolentem fuit praescripta: 106 die sudor cruentus in fronte et facie rediit, quamvis in reliqua corporis superficie perspiratio a quindecim ab hinc diebus regularis esset: 115 die haematemesis, quae fere a duobus mensibus siluit, cum consuetis phaenomenis locum habuit, sed mox iterum evanuit: a 104 die usque ad 155 cum idem status pathologicus perseverasset, pro usu interno modo emulsio ex gum. arab. et ol. amygd. dulc., modo aqua mephitica alcalina, aut aq. com. dest. cum aq. coobat. lauro-ceras., aut limonea tenuis cum sacch., aut decoct. rad. alth. libr. II. cum carbonat. sodae dr. I., cremor. tartar. solub. dr. II., syrup. simpl. unc. I., paulatim de die adsumend.; externe fomenta frigida in hypogastrio dolenti cum aliquo aegrotantis levamine ordinata fuerunt.

Cum 155 die curationis, 25 Julii hujus anni pro supplentis fungendo munere in hoc Clinicum Medicum Institutum ingressus fuerit perillustris Caspar Federigo Professor P. O. Clinicae Medicae pro Chirurgis provincialibus atque civilibus instituendis; emulsionem gum. arab., amygd. dulc., semin. papaveris albi, atque extract. opii Beaumè gr. I. et semis adsumendam cochleatim om. bih. administravit, suspendendo alia remedia: 157 die materia tenax sanguinea per os et anum rejecta fuit.

Idem remedium internum: 158 die vomitus cruentus siluit; praescripsit tincturae martis pomat. unc. I. cum aq. ceras. nigr. unc. II., et chinae tinct. Masdoval. unc. I. et semis cochlear. I. om. bih. sumend.: 159 die melius aegra se se habet. Eadem remedia repetuntur usque ad 142 diem, ubi substituitur extracto opii p. d. Beaumè in emulsione eadem ex gum. arab., amygd. dulc. etc. dosis guttar. XX. laud. liquid. Altera die haemorrhagia nulla; sed a 15 diebus ischuria renalis. Praescribitur aqua Recobar. libr. I. de die paulatim sumend., cujus usus, quia optime ab aegra toleratur, protrahitur usque ad 144 diem curationis, ubi ischuria evanuit, aegra magis naturalem faciei colorem et meliorem adspectum praesefert; pulsus magis sunt aperti et regulares; febris paucis ab hinc diebus evanescere coepit; vires increscere incipiunt adeo, ut lectum aegrotans per temporis intervalla derelinquere possit. Prognosin tamen adhuc caute statuendam esse, nullus artis medicae peritus dubitabit.

Vetat temporis angustia ulterius phaenomena atque curationem observare ac conscribere, cum nunc hoc opusculum eruditorum disquisitioni subjiciendum sit pro Laurea medica legitime assequenda.

THESES

I.

Praevalens sanguinis character venosus meretur majorem Medicorum attentionem.

II.

Sudor sanguinis ab aliis haemorrhagiis per secretionem factis non differt, excepto loco et complexu phaenomenorum proprio.

III.

Nimii fluxus menstrui causam, male semper in plethora radicatam pones.

IV.

Opinio: Crisin in arthritide, cujuscumque indolis sit, sanguinis subtractione intercipi; falsa.

V.

Uti praecepta: Omnem affectionem syphiliticam mercurii auxilio sanari; damnosa.

VI.

Contagium a miasmate differt.

VII.

Cataractae unica medela, ferrum.

VIII.

Sectio caesarea nonnisi in discrimine matris maximo instituenda.

IX.

Calculus organorum uropoeticorum resolvi remediis internis nequit.